for Dr. Hamphill

3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FLUORE ALBO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS CROWTHER, ANGLO-BRITANNUS.

JUPITER *affectae tandem miserere* PUELLAE!
Tam FORMOSA *tuum* MORTUA *Crimen erit.* Propert.

Ad diem 1 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud ALDUM et RUDDIMANNUM Typographos,

M, DCC, LXIV.

VIRO EGREGIO,

GULIELMO CULLEN,

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE CHEMICAE,

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI,

PROFESSORI CELEBERRIMO;

PRAECEPTORI SUO SUMMOPERE COLENDO:

PROPTER MONITA ET CONSILIA

IN STUDIIS

AMICISSIME COMMUNICATA;

ET OB INSIGNEM ERGA SE BENEVOLENTIAM:

Hosce primos Studiorum Conatus,

EO QUO PAR EST OBSEQUIO,

DICATOS VOLUIT

JACOBUS CROWTHER.

DISSERTATIO MEDICA

DE

FLUORE ALBO.

LEGIBUS hujus Almae Academiae, Specimen Inaugurale proferre jusſus, de FLUORE ALBO diſſerere mecum conſtitui: Non quod rem difficilem et impeditam prorſus expedire ſperarem; ſed quod in morbi maxime frequentis, et plerumque difficilis, ſtudio, me exercere vellem. Ut induſtriam meam aequi bonique conſulant Praeceptores optimi precor.

FLUOR ALBUS, qui etiam *Fluor Muliebris* et *Leucorrhoea* appellatur, eſt humoris ſeroſi, mucoſi, plus minus albeſcentis,

e vagina muliebri, effluxus copiosus praeternaturalis, nec tamen ex contagio ortus.

Adoritur hic morbus foeminas adultas et mulieres, rarius juvenculas et virgines. Huic obnoxiae sunt laxae et debiles, quibus menses uberiores fluunt, quibus abortus frequentes, vel partus plurimi et difficiles, contigerunt. Primo plerumque apparet decedentibus mensibus, quae quasi decolores sensim fiunt; et humor serosus, per dies aliquot, stillare pergit. Apparet etiam quandoque paulo ante mensium accessionem; et, ingravescente morbo, totum tempus inter binas quasque periodos occupat. Tandem deficiunt menses; et humor mucosus e vagina perpetuo manare videtur, quovis mense tamen parum auctus. Humor, nunc aqueus serosus, nunc mucosus lentior crassior, aliquando pus refert: Plerumque albescit; sed, inveterascente morbo, in flavescentem et viridem aliquando transit. Sub initiis, humor odoris expers;

pers; perſtanti autem fluxu, plus minus graveolet, vel etiam foetet. Initio etiam, plerumque mitis et blandus, neque calorem, tumorem, vel dolorem, in partibus excitat; procedente autem morbo, acris aliquando fit, in vagina et partibus vicinis dolorem et inflammationem facit; adeo ut urinae ardor plerumque exoriatur; pudendi labia tumore et exulceratione vexentur; et, ob dolores qui intus etiam perſentiuntur, in utero et vagina ulcera adeſſe putandum ſit. Comitatur huncce fluorem ingraveſcentem, laſſitudo et dolor frequens in regione lumborum.

Hic morbus corripit, ut diximus, laxas et debiles; ſaltem, per tempus perſtans, laxas et debiles omnino facit; adeo ut vix quaevis functio integra permaneat. Afficitur praeſertim ventriculus: Languet appetitus, concoctio fit difficilis et prava; ſuboriuntur cruditates et flatus, cum morſu ventriculi, cardialgia, ructu acido vel nidoroſo. Murmura

mura ventris frequenter audiuntur, dolores colici frequenter vexant, et alvus plerumque tarda fit. Neque partes vitales non compati possunt. Respiratio, parva ac difficilis, et ad levissimum motum, praecipue per clivos ascendenti, fit crebra et anhelans. Pulsus, ut plurimum, debilis et frequens, saepe inaequalis et intermittens. Cor subinde palpitat, et deliquium animi nonnunquam incidit. Cum hisce adsunt etiam solidorum tenoris infirmati et flacciditatis summae indicia. Pallet facies, hebetantur oculi, tument palpebrae mane, vesperi pedes et crura; tumor denique mollis et flaccidus totum corpus occupat.

Hunc morbum, cum non admodum gravis sit, diu tolerant foeminae: sed gravior factus saepe in exitium tendit; vel quod jugi fluxu tandem exhauriantur, vel quod aquis ubique effusis suffocatae intereant, vel denique quod, ob uterum intus exulceratum, tabe et hectica demum consumantur.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Haec ex hiſtoria modo tradita facile deſumitur; et ſupereſt tantum, ut hic dicamus, quo modo Fluor Albus ab aliis morbis illi ſimilibus rite diſtinguatur. Hi autem ſunt praecipue, Gonorrhoea virulenta et Ulcus uteri: Et primo de Gonorrhoea virulenta loquar.

Si materia, primo prodiens, tenuis cum lentore quodam et utcunque pellucida ſit, et per plures dies perſtet, eandem ad Fluorem Album pertinere putare liceat; cum, in Gonorrhoea virulenta, materia prodiens, ſi tenuis, plerumque ſine lentore ſit, et opaca puris formam quodammodo referat.

Si vero Fluoris Albi materies, uti quandoque ſolet, puris formam induerit, ex ſpecie ejus haud licet diſtinguere; ſed per ſymptomata conjuncta oportet. Si fluxus igitur

igitur copiosior puriformis, cum ardore urinae, ac dolore et tumore partium, paucis diebus post cum viro congressum, apparet, Gonorrhoeam virulentam adesse nequidem dubitandum est: Cum Fluor Albus plerumque paulatim accedat, et aliquando sine quocunque dolore partium vel ardore urinae diu perstet. Si vero Gonorrhoea mitior utcunque fuerit, et illis symptomatibus vix stipata per tempus aliquod perstiterit, distinctio magis dubia evadat, et petenda est a symptomatibus Fluori Albo propriis; uti sunt dolores et lassitudo ad regionem lumborum, dolor et cruditas ventriculi, pallor faciei, et alia laxi systematis indicia; quæ rarius, vel vix unquam, in initio Gonorrhoeam comitantur. Et porro si accedant menstrua, vel cessantia, vel periodo incerta fluentia, et tum ante earum accessionem, tum immediate post discessionem, fluxus serosus auctus compareat, hunc esse Fluorem Album omnino putandum. Cum tamen haec omnia aliquando fallere possunt, distinctionem adhuc

huc magis certam adhiberi voluit illuſt. Baglivi; et notam hanc ſolummodo certam eſſe ſtatuit, quod menſtruis fluentibus perſtet Gonorrhoea, diſpareat vero Fluor Albus. At pace tanti viri dixerim, etiam hanc notam non ubique firmam et fidam eſſe, immò et aliquando fallacem omnino fieri. Nam non ſolum quod menſium fluxus, rubro ſuo colore Gonorrhoeam albam obtegens, de ejus præſentia omnino dubios nos reddat; ſed etiam ſub menſium fluxu, perſtante humoris albi effluxu, hunc eſſe Gonorrhoeam virulentam affirmari non liceat, niſi in illa tantum Fluoris Albi ſpecie, quæ ex iiſdem quibus menſes vaſis exiit. Nam ſi Fluor Albus ex vaſis vaginæ mucoſis exit, ut, ad mentem Cel. Friend et Mead, aliquando fit, hujusmodi Fluor, haud ſecus ac Gonorrhoea virulenta, ſub menſium fluxu comparere poteſt. Cum tamen fontes Fluoris Albi, in plerisque caſibus, incerti ſint, hæc nota Baglivii raro adhiberi queat; et ſupereſt igitur, ad hos morbos rite internoſcendos,

cendos, ut ad utriusque historiam, et ad symptomata cuique propria, animum attendamus.

Quod ad Ulcus uteri demum spectat: Hoc plerumque a Fluore Albo facile discernitur, ex eo, quod hic Fluor nullo dolore, vel alio inflammationis signo prægresso, accedat; Illud vero sine dolore et febre manifesta accedere vix potest. Fieri quidem potest, ut, perstante Fluore Albo, ab humoribus acribus, uteri cavum exasperantibus et erodentibus, paulatim, et sine febre valde manifesta, superveniant Ulcera uteri, quæ materiem, ab illa Fluoris Albi vix discernendam, effundant. In hoc casu quidem difficile foret, morbum diversum statuere; nec opus est ut statuamus; cum eædem erunt indicationes, sive Fluorem Album, sive Ulcus illi superveniens, respiciamus. Sunt tamen qui, in omni casu, inter Fluorem Album et Ulcus uteri, per diversum materiæ effluentis habitum distinguere volunt; et pus ab Ulcere

Ulcere ſtillans, a materie albida mucoſa Fluoris Albi, diſcernendum putant: Sed, quantum novimus, non datur nota adhuc ſatis certa, qua pus verum a muco, in hoc et aliis morbis pus referente, diſtinguere valeamus.

CAUSA PROXIMA.

Causa Fluoris Albi in laxitate vaſorum excernentium imprimis poſita eſſe videtur. Haecce laxitas autem vel in vaſis uteri ſolis, a cauſa quadam his peculiari labefactatis, vel in vaſis uteri ex vitio corporis generali debilitatis. Hanc laxitatem facit, vel huic conjungitur, impetus fluidorum in uterum auctus, vel propter irritamentum utero ſoli vel toti corpori applicatum, vel propter fluida per alias vias exire prohibita, et ad uterum delata. His cauſis etiam conjungi quandoque poteſt fluidorum tenuitas, ex qua facilius per vias quaſvis elabantur.

Quod hae ſint cauſae Fluoris Albi proximae, intelligimus, vel ex conſideratione cauſarum remotarum, vel ex ratione ſymptomatum: Ad illarum igitur conſiderationem nos nunc accingamus.

CAUSAE REMOTAE.

Hujus morbi cauſae remotae multae ac variae, apud auctores, recenſentur. Earum autem pleraſque hi auctores, ut opinionem theoriamque, quam ſibi deſponſaverant, tuerentur et firmarent, potius finxerunt et excogitarunt, quam experientiae et obſervationi, ducibus ſolis fidiſſimis, confidentes, et veritatem ſciſcitantes, revera invenerunt. Iſtiuſmodi cauſis vero omiſſis; ad eas certiores tantum, quae apud auctores comprobatos reperiuntur, me conferam. Inter has, utpote praecipua et primaria Fluoris Albi cauſa, recenſetur fluxus menſium et lochiorum immodicus.

Harum

Harum autem haemorrhagiarum uterinarum causa, vel est vasorum uteri laxitas naturalis et congenita, plerumque sanguinis tenuitati conjuncta; vel est vasorum eorundem motus oscillatorius adauctus, qui copiosiorem fluidorum influxum concitans, vasa uteri dilatat debilitatque. Huc faciunt abortus frequentes, partus difficiles, aut violenta placentae dilaceratio et divulsio. Quodcunque insuper systema corporis, in genere, stimulat irritatque, ut cibi aromaticis plenius conditi, liquores vinosi ac spirituosi, exercitationes immodicae, et affectus animi graviores et repentini; haec omnia, si, praesertim, circa tempora quibus menstrua muliebria fluere consueverunt, dum fluidorum circumeuntium confluxus impetusque naturaliter in uterum vergit, adhibentur, haemorrhagiam uterinam facile concitare queant. Sicut vero nihil ad systema in genere debilitandum, imbecillumque reddendum, magis immediate confert, quam sanguinis rubri evacuatio;

cuatio; ita praesertim istas partes, unde fluxerit, ea debilitat: Et hinc compertum, quod uteri vasa, postquam fluxus sanguinis copiosior per ea promanare desierit, tonum pristinum lente, et vix omnino, recuperant; sed diu laxa adeo et imbecilla permaneant, ut lympham tenuem serosam per ea facile perlabi permittant. Hinc facile patebit, quo pacto haemorrhagiae uterinae Fluori Albo causam praebeant.

Inter causas dein, fluidorum affluxum et impetum ad uterum augentes, merito recensetur venus immodica. Rem veneream, apud omnes fere concessum, emenagogam esse potentissimam: Quippe, sicut irritatio ab ea concitatur haud mediocris, ita quidem major erit humorum in uterum influxus, ab eadem saepius repetita; praecipue vero, si, instante menstruorum periodo solita, ea fiat, horum nimium fluxum facile provocare potest. Inde vero uteri tonus adeo infirmatur, ut, per vasa

ejusdem

ejufdem laxa et dilatata, lympha tenuis et ferofa diu permeare perfiftat. Porro ufus veneris frequentior, non eo folum modo quo diximus, Fluorem Album ex uteri ipfius vafis provocare poteft; fed etiam, cum ad glandulas uteri et vaginae mucofas affluxum humorum copiofum faciat, ex hifce etiam, fluxu nimis dilatatis et debilitatis, Fluorem Album ciere queat.

Inter Fluoris Albi caufas, a plerifque recenfetur denique menfium obftructio. Haecce a variis caufis pendere queat; et praefertim ab iis, quae vaforum ora, e quibus menfes promanare confueverunt, fortius conftringunt. Si vero talis conftrictio ad menfium tempora folita, et dum fanguine turget uterus, mulierem corripuerit, dolorem et tenfionem in utero partibufque vicinis inferet, majoremque humorum adfluxum concitabit. Hi vero, cum per vafa folita tranfire non poffunt, in vicina traduntur, in glandulas nimirum uteri

uteri et vaginae mucosas, harum excretiones augere Fluorem Album, et ob vasa dilatata etiam perennantem citare, queunt. Hoc modo, mensium obstructio Fluorem Album utcunque excitare possit: Sed ego quidem existimo, mensium suppressionem a plerisque pro causa Fluoris Albi habitam fuisse, ex eo solum, quod, dominante Fluore Albo, cessat plerumque mensium fluxus. Nec tamen inde, Hunc Illius causam fuisse, concludere licet; cum probabile satis sit, mensium suppressionem, Fluoris Albi potius effectum quam causam esse. Cum enim verosimile admodum sit, menses ideo fluere, quod, de mense in mensem, sanguis in vasa uteri paulatim accumulatur; haecce autem accumulatio nequaquam fieri potest, nisi, post quemcunque mensium fluxum, vasorum ora constringantur, et accurate occludantur. Si vero, de quacunque causa haec vasa laxentur, ex iis perpetuo stillet Fluor Albus, nequaquam in iis accumulabitur sanguis; nec certis igitur periodis copiosius effluet.

CAUSAS

Causas hujus morbi remotas nonnullas nunc addam, quae tales tantum exiſtunt, dum ſimul utero alioquin affecto accedunt. Hujuſmodi ſunt, in aere frigido humidoque vivendi ſors. Aer quidem frigidus, corpori circumfuſus, meatus cutaneos conſtringit; et, perſpirabilis, vias occludit. Sed, cum perſpiratio fit, non ſolum quod viae ejus patulae ſint, ſed etiam quod aer materiem, tum per cutem tranſpirantem, tum ex pulmonibus exhalantem, ſolvat et abducat: Si aer jam humido repletus ſit, materiem perſpiratam nec ſolvere, nec rite abducere poteſt; et proinde aer, frigidus et humidus ſimul, perſpirationem tum cutaneam, tum exhalationem ex pulmonibus, maxime et diu cohibet. Ob fluidum perſpirabile vero retentum, ſanguis magis tenuis evadit, et ſolida laxantur; et, ob perſpirationis ſecretionem obſtructam, aliae, et forte illa uteri, neceſſario augentur.

Evacuationes itidem aliae, quaecunque ſuppreſſae, in uterum laxum humores pellere,

pellere, et Fluore Albo caufam praebere poffunt. Hinc Cel. HOFFMANNUS, inter alias Fluoris caufas, fuppreffionem etiam muci, de naribus folito fluentis, recenfet; et merito quidem fuppreffionem lactis ex uberibus nutricum fluentis intempeftivam, et, propter confenfum infignem, in uterum derivatam, pro caufa Fluoris Albi frequente, ponit Doctiffimus ASTRUC.

QUICQUID denique corpus quodammodo laxat et debilitat, Fluori Albo viam fternere poteft. Hinc potus aquofi calidi nimis copiofi, quales funt infufa Theae et Coffeae, a mulieribus paulo plenius, uti folet, ingefta, tum totum corpus, tum praefertim ventriculum, et confentientem uterum, laxare, et Fluorem Album inducere poffunt. Ufus etiam lavationis calidae nimis frequens ad eundem multum conferre poteft. Vita denique fedentaria, et fomnus immodicus, laxitatem foeminis congenitam augendo, nec non vigiliae nimiae,

tonum

tonum ſyſtematis nervoſi debilitando, pro cauſis Fluoris Albi occaſionalibus ſaepe haberi poſſunt.

HAE vero cauſae occaſionales facile fierent, dum uterus, natura laxus et ſpongioſus, ad congerendum humorem copioſum, et eundem effundendum, maxime praediſpoſitus ſit: Cum enim arteriae ejus tunicas pro ratione amplitudinis tenuiores et laxiores habeant, et adfluxui humorum magis pateant, dum, e contrario, venae ejus, valvis deſtitutae, tunicas pro ratione amplitudinis craſſiores et validiores obtineant, et exitui humorum minus faveant; inde neceſſe eſt, adfluente humore copioſo, et accedente ſimul cauſa quadam vaſa uteri laxante, ut humores, per arteriolas laterales et in uteri cavum exhalantes, facile elabantur, et tum haemorrhagiam uterinam tum Fluorem Album faciant.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ex generali ſymptomatum conſpectu, laxitatem uteri, et totius forte corporis, adeſſe, ſatis conſtat; et hoc nôſſe ſufficiat. Symptomata autem ſigillatim perſequi, cujuſque rationem reddere, quodque ex quo alio pendeat, et quomodo, dicere, cum ſit opus fallaciae plerumque plenum, omnino fugiamus, et omiſiſſe nos excuſatos haberi ſperamus.

PROGNOSIS.

Fluor Albus, morbus ingratus, plerumque longus, et ſanatu difficilis, nec tamen, ſub initiis, periculo graviori ſtipatus.

Prognosis omnino varia et diverſa eſt, pro ratione corporis affecti ſtatus varii, pro ratione temporis quo morbus jam duraverit, et pro ratione denique effectuum quos morbus jam produxerit.

1mo, Pro

1*mo*, PRO ſtatu corporis.—Si aegrota, adhuc juvenis, probo corporis habitu fruatur, ſique menſes ſolitis et certis ideo periodis fluant, Prognoſis laeta ac fauſta omnino erit: Si vero corpus aegrae et uterus ejus natura imbecillia ſint, ſi uterus, propter abortum frequentem vel partus difficiles debilitatus, haemorrhagiis jam obnoxius fuerit, omnino verendum eſt, ne Fluor Albus obortus in diuturnum et difficilem abeat; et, ſi forte cohibeatur, ne recidivus facile fiat. Si denique, corpore et utero ob cauſas dictas debili exiſtente, menſes vel irregulares fiant, vel prorſus evaneſcant, Fluorem Album ſanatu difficillimum fore cenſendum eſt. Ad hanc rem etiam pertinent quae Dr. RUSSEL, in libro ſuo de Oeconomia Naturae, profert: "Et ſaepe porro," inquit, "ceſſante men-
"ſtruatione, glandulas uterinas, quae an-
"tea debiles inter menſtruorum ſolùm pe-
"riodos eſſe videbantur; nunc magis undi-
"que, propter novam evacuationis illius
"jacturam, plenitudine onuſtas eſſe cerni-
mus.

"mus. Earundem etiam ſphincteres *vim*
"ſuam *retentivam* amittunt; et, qui non
"admodùm gravis ante fuit, Fluor Albus
"nunc mirè augetur, et glandulas, ſi diu
"maneat, morbidas reddit; ſaepe etiam
"in ulcerationes cancroſas terminatur."

2*do*, PRO duratione morbi.——Si morbus recens, nec a cauſis gravioribus ortus ſit, eum facile ſanatum fore, ſperare omnino liceat: Si vero diutius perſtiterit, tum, propter conſuetudinem, in quam devenerit, ſemper difficile mutandam, tum propter laxitatem, a diuturnitate Fluoris multum auctam, medela difficilis et incerta prorſus evadat.

3*tio*, PRO ratione ſymptomatum et effectuum quos morbus jam produxerit.——Hi effectus, pro natura partium quas occupaverint, et earum ad vitam neceſſitate, eventus ſalutaris ſpem vel ſinunt, vel omnino tollunt. Si, integro igitur etiamnum corpore reliquo, morbus in utero ſolo exiſtat, ſpem ſanatio-

nis

nis fore putandum est. Si vero, simul cum utero, aliae et plures corporis partes laedantur, spes minor superest. Hinc, si canalis alimentarius afficiatur, et in functionibus suis multum turbetur, debilitatem hic periculosam, et in caeterum corpus mox transituram, ostendit, et morbum aegre sanabilem indicat. Cum porro corporis debilitas, pallore vultus, et tumore leucophlegmatico variarum partium, se patefecerit, Prognosis omnino dubia, et plerumque infausta, restabit. Cum denique functiones vitales laesionem generalem participent, respiratio ad motum levissimum anhelosa fiat, palpitatio cordis frequens adsit, et deliquia animi incidant, aegram in maximo periculo positam esse, omnia eadem ostendunt.

In omnibus vero casibus ubi Fluor Albus diu perseveraverit, incerta futura erit Prognosis: Cum fere periculi non-nihil interea restabit, ne uterum exulceratum aut cancrosum fecerit; unde fortasse exoriatur

riatur

riatur febris hectica, symptomatumque plorabilium series longissima.

METHODUS MEDENDI.

Cum morbus recens sit, et a solius uteri laxitate, integro reliquo corpore, pendeat, Indicatio Curatoria sola erit, idoneum utero tonum restituere; et hoc fortassis applicatis tantum topicis fieri potest. Hujusmodi topica sunt, decoctum levius ex radice tormentillae, cortice quercino, vel gallis, factum, et frigidum ad spinam dorsi, cum utero consentientem, ope linteorum madentium applicatum; vel etiam tepidum in vaginam injectum. Priusquam autem decoctum injiciatur, non alienum foret, aquae modice tepefactae aliquid immittere; ut materia mucosa, vaginae uterive lateribus adhaerescens, abluatur: Praestat omnino ut injectio immittenda leniter calefiat; ne nimis subitam in vasis uteri con-

conſtrictionem, ac proinde inflammationem, cieret; vel forte, materiam exeuntem cohibendo, in glandulis mucoſis indurationem faceret, quod tandem in ſchirrum cancrumve uteri abiret.

Cum vero morbus jam diu perſtiterit, et non ſolum uterum, ſed etiam caeterum corpus, labefactaverit, medendi rationem ſecundum Indicationes ſequentes inſtituere oportet.

1*mo*, Primas vias a ſordibus depurgare.

2*do*, Fluidorum copiam ſuperfluam ab utero derivare; aut, ne humores in eum nimis copioſe mittantur, prohibere.

3*tio*, Uteri, totiuſque ſyſtematis, tonum reſtituere et confirmare.

INDI-

INDICATIO PRIMA.

Primas vias a sordibus depurgare.

Ut Indicatio Prima perficiatur, ab emeticis incipiendum erit. Haec autem non solum symptomatum complura, nauseam, nempe, ventriculi morsus, flatus, &c. ablatis sordibus in ventriculo hospitantibus, feliciter tollunt; sed etiam, vomitione repetita, in systema valide agendo, humorum circumeuntium motum magis aequabilem reddunt; secretiones et excretiones plerasque, praesertim perspirationem, promovent; et solidorum tonum ac vim contractilem adaugent. Hinc emetica tum huic Primae, tum aliis Indicationibus, multum conferunt.

Ad emeticorum delectum quod attinet; Ipecacuanha lenissimum ac tutissimum, compluribus in casibus, pulcherrime respondet.

Vitriolum

VITRIOLUM ALBUM est emeticum, in hoc morbo, quasi utilissimum, apud multos decantatum; quippe quod, praeter emeticas, etiam astrictorias dotes possideat, et ob has quodammodo valere potest. Quousque tamen medicamentum hoc innocuum sit, nonnihil dubium; quum zincum semimetallicum, ex quo cum acido vitriolico conficitur vitriolum album, vim quandam deleteriam habere suspicatur. Quatenus autem haec suspicio ratione certa nitatur, ab experientia et observatione accuratius definiendum relinquo.

EMETICA ex antimonio confecta, qualia sunt, tartarus emeticus, et vinum emeticum antimoniale, in nonnullis casibus satis idonea sunt; in iis nimirum, in quibus tum aegri temperamento robusto et minus irritabili gaudent, tum in quibus morbus, ab excretionibus suppressis, et vi quadam reserandis, pendet. Antimonialia enim impetu valido corpus universum concutiunt,

humores exteriora cutemque versùs urgent, ab interioribus derivant, et secretiones plerasque augent.

Cathartica porro ad primarum viarum sordes eliminandas maxime conferunt, et in hoc morbo omnino adhibenda. Inter ea maxime huic morbo accommodatum putatur rhabarbarum ; quod, postquam cathartici munere functum sit, vim roborantem plerumque exserit. Calomelas etiam rhabarbaro conjunctum saepe profuit.

INDICATIO SECUNDA.

Fluidorum copiam superfluam ab utero derivare; aut, ne humores in eum nimis copiose mittantur, prohibere.

Apud medicos ubique receptum, quod, dum aliam secretionem augemus, simul aliam minuimus; et in hoc axiomate, indica-

tionis

tionis modo inſtitutae ratio omnino poſita eſt.

Missio ſanguinis Fluori Albo laborantibus raro neceſſaria, et vix unquam convenit. Cum in his enim adſit tum ſolidorum laxitas et debilitas, tum fluidorum tenuitas, miſſionem ſanguinis vix ferunt. Si vero, in corpore paulo pleniori, ſanguinis miſſio tuta, immo in rem fore, videatur, ab hac inchoanda cura eſt, et, antequam vel emetica vel cathartica praeſcribantur, inſtituenda.

Ad humores autem ab utero derivandos conferre poſſunt emetica et cathartica, jam dicta; ſi modo illa, commodis intervallis, prout aegrae vires ferant, iterentur. Ad eundem ſcopum maxime proderunt diaphoretica, quae ſanguinis impetum non nimis augent. Fonticulis forſitan et ſetaceis etiam hic erit locus.

Si

Si denique Fluor Albus ex ſuppreſſa excretione quavis ortus ſit, vix, niſi reſtituta excretione illa, cohibendus eſt.

INDICATIO TERTIA.

Uteri totiuſque ſyſtematis tonum reſtituere et confirmare.

In hunc finem faciunt medicamenta aſtringentia et balſamica, lavatio frigida, exercitatio, et victus idoneus: De quibus omnibus nunc ſigillatim.

Medicamentorum aſtringentium, roborantium, et tonicorum effectus ſatis compertos habemus; modus autem quo hi muneribus ſuis fungantur omnino obſcurus eſt. Cum interne illa adhibentur, dubitant medici, num, per lactea tranſeuntia, in vaſa ſanguifera deveniant, ita ut, cum ſanguine circumvecta, in quamlibet partem cui immediate applicentur agere poſſint; anne vero non

non ultra primas vias tranſeant, in has ſolas immediate agant, et effectus ſuos tonicos cum corpore reliquo per ſympathiam quandam communicent.

Cum lacteorum ora, per quae aſtringentia in vaſa ſanguinea deferri poſſint, janitore ſenſu cuſtodiantur, veroſimile eſt, ea ab appulſis aſtringentibus irritata fore, et introitum his praecludere; adeo ut, ſi omnino lactea ſubeunt, ſubeant tamen ſtatu tam diluto, et tantilla proinde copia, ut vix ullos effectus evidentes, in partes ad quas poſtea devehantur, edere queant.

Cum porro effectus aſtringentia ſatis evidentes in primis viis exſerant, et effectus ſuos, etiam in caeteris corporis partibus, quam pro ratione quantitatis in has delatae majores, et plerumque citius quam in has deferri poſſint, oſtendant; veroſimile omnino eſt, aſtringentia in primas tantum vias immediate, et in caeteras partes non niſi per ſympathiam quandam, agere.

Sympathiae

Sympathiae hujus ratio forte hic a nobis exigi possit: Sed hanc reddere nequaquam valemus; et donec contractilitatis fibrarum motricium ratio, donec inter hanc et elasticitatem simplicem nexus mutuus, et systematis denique nervosi leges, melius innotescant, sympathiae ratio latebit; et hanc locum habere tantum novisse, contentos nos esse oportet.

Quidam, ne ad rem obscuram confugere opus esset, existimarunt, astringentia robur et tonum corporis ideo restituere, quod primarum viarum vitia corrigant, et ad probam chyli concoctionem, nec non ad succi nutritii optimi apparatum, faciant. Hoc quidem utcunque verum esse, et in casibus quibusdam locum habere, potest: Sed satis certo constat, effectus astringentium in multis evidentes fieri multo citius quam mutationes aliquas notabiles in fluidis contigisse putemus. Oportet itaque, effectus istos subitaneos in solida potius exstitisse.

Cum

Cum jam de aſtringentium et tonicorum vi et actione, in genere, ſatis ſuperque diximus: De iis ſigillatim pauca proferre nunc pergamus.

Ex Vegetabilibus, inter optima et praeſtantiſſima roborantia, merito cenſetur Cortex Peruvianus. Medicamentum eſt aſtringens, amarum, et leniter aromaticum; appetitum ergo excitat, ventriculi concoctionem promovet, et, confirmato tono, flatulentiam coërcet. Inteſtinorum etiam motus regulares periſtalticos reſtituit, et conſtrictiones eorum ſpaſmodicas, vires inſtaurando, et irritabilitatem minuendo, tollit fugatque; effectus ſuos tonicos cum toto corpore communicat; ſublata cordis et arteriarum mobilitate, pulſus fortiores, firmiores, et minus frequentes, reddit; excretiones naturales conſtantiores facit; praeternaturales autem et morbidas, reſtitutis ſyſtemati viribus, compeſcit et cohibet. Medicamentum hoc igitur, ſi quid aliud, Fluori

Fluori Albo accommodatum eſt; cum hic morbus ab uteri laxitate, ſemper, et totius ſyſtematis debilitate, ut plurimum, pendeat. Hujus exemplum inſigne Profeſſor noſter, Clar. MONRO, Pater, in Praxi ſua Clinica, exhibuit: Foemina quaedam, Fluore Albo cum jam per triennium laboraverat, febre intermittente correpta fuit, et cum hanc febrem, perſtante ſimul Fluore, per novem hebdomadas toleraſſet, in Noſocomium Edinenſe recepta, et curae Illuſtr. MONRO tradita eſt. Hic, ut febri intermittenti mederetur, Corticem Peruvianum aegrotae propinabat; quo per dies ſeptem aſſumpto, non ſolum febris omnino fugata eſt, ſed etiam a Fluore Albo liberata foemina penitus convaluit.

ADHIBEATUR, autem Cortex Peruvianus efficaciſſime in pulverem tritus. Cum vero hunc minus recte ferant quarundam ſtomachi imbecilliores; hiſce plerumque corticis ex aqua decoctum propinari ſolet.

Monuit

Monuit autem Doct. LEWIS, corticis vires aſtringentes per infuſionem frigidam melius extrahi poſſe: Et ex eo demonſtravit, quod corticis infuſum, ſolutioni vitrioli ferri admiſtum, colorem nigrum induat; decoctum autem hoc vix faciat. Infuſum frigidum igitur decocto praeſtare cenſemus: Et porro, ſi ſub infuſione addatur ſpiritus vini pauxillum, quo reſinoſae corticis partis aliquid ſimul extrahatur, eo melius reddatur infuſum; et ſpiritus vini cum ſalutari corticis intentione etiam apprime coincidet.

SUNT porro alia vegetabilia, in hoc morbo ſanando laudata, et vulgo recepta. Cum haec vero memoratis corticis viribus haud ſuperiora, immo longe inferiora, deprehendantur; cumque praeſertim horum actio intra limites primarum viarum magis concludatur, nec cum reliquo corpore tam cito ſi omnino communicetur; ut haec nomine ſolo recenſeantur ſufficiat: Sunt igitur gallae, cort. querc. lign. Campechenſe,

terra Japonica, cort. granatorum et rad. tormentillae.

Ex foſſilibus autem petuntur alia aſtringentia & quidem valentia. Ita alumen, tum in haemorrhagiis uteri, tum in Fluore Albo, ut aſtringens, plurimo in pretio paſſim habetur. Cum ſanguine draconis commiſtum commodiſſime adhibetur. Ita enim cavetur, ne alumen in ventriculo nimis cito ſolvatur, et vim emeticam exſerat, quod ſeorſum adhibitum facere ſolet. Medicamentum hocce, in haemorrhagiis uteri ſiſtendis, Dr. THOMPSON, in Tentam. Med. Edinenſ. plurimum collaudat; aitque, ſe etiam mirabiles ejuſdem effectus in Fluore Albo compertos habuiſſe. Quibus convenit alumen, iis ſerum aluminoſum, Pharm. Lond. commodum gratumque erit remedium.

SUNT denique ſales metallici complures, ex aſtringentibus potentiſſimi. Hujusmodi,

di, ex cupro, plumbo, vel ferro, cum acidis conjuncto, fieri possunt. Ita vitriolum caeruleum sive romanum, ex cupro et acido vitriolico conjunctis paratum, omnino astringens est; Cum vero acre simul et irritans sit, et turbas maximas in primis viis facile concitet, rarissime quidem interne adhibetur.

Ex plumbo confecti sales potentissime quidem astringunt, sed intra assumpti vix innocui deprehenduntur; cum constrictiones intestinorum obstinatas, angores colicos, membrorumque dolores, contractiones et tremores, saepe arcessant.

Ferrum denique, vel simplex in partes tenuissimas limatum, vel cum acidis quibusdam conjunctum, inter tonica et astringentia tutissimum et optimum censetur. Ventriculum et organa chylopoïetica roborat, tonum etiam et robur totius corporis instaurat, et morbis a debilitate et laxitate pendentibus optime medetur. Cum ferrum

rum autem ſimplex limatum exhibetur, actio ejus, utpote ab occurſu acidi in ventriculo plus minus deliteſcentis unice pendens, omnino incerta evadat. Ferrum vero rubiginoſum, cum ab acido ventriculi promptius ſolvatur, ferro integro certius vires ſuas exſerit. Qui vero certius adhuc in ventriculum agat, jam acido conjunctus, ſeſe offert ſal martis. Aquae porro fontanae, quae, cum per ferri venas ſtrataque defluxerint, demum ferro refertae ſcaturiunt, Fluori Albo laborantibus apprime conveniunt. Sique aegrota interea ſeſe probe exerceat, ferrum, quod aqua multa dilutum eſt, inde certius excretiones quaſcunque ſalutares promovebit.

Balsamicorum deinde vires apud ſcriptores medicos celebrantur, adeo ut de eorundem in hoc morbo efficacia dubitare vix liceat. Ex optimis autem cenſentur balſ. copaiba et terebinthina. Parva quidem copia haec exhibentur; et, ob indolem

reſinoſam,

resinosam, in fluidis nostris parum solubilia censeri queant: Verumtamen satis certum est, ea sese eo usque in vasa nostra insinuare, ut odorem violas redolentem urinae communicent, et vires irritantes in viis urinariis aliquando ostendant. Fieri etiam potest, ut in partes hisce vicinas, in uterum nempe, agant, et vires exsiccantes ibi exserant.

Gummi Olibanum, aqua solutum, a nonnullis etiam collaudatur.

Inter roborantia porro, et in morbis a laxitate et debilitate pendentibus, utilissimum censetur lavatio frigida. A repentina enim corporis in aquam frigidam demersione, fibrarum motricium contractiones vividiores et validiores excitantur, earum tonus vigorque augetur, et per totum corpus motus magis firmi et aequabiles redduntur. Ex hujus igitur remedii usu, in Fluore Albo sanando, beneficium maximum exspectandum

dum eſt. Cavendum autem, ne in debilioribus ea temere adhibeatur, et antequam tonicis aliquamdiu adhibitis vires quodammodo inſtaurentur. Quoniam demerſo in frigidam corpore, exteriora ſubito contrahuntur, et ſanguis ad interiora magna vi pellitur; ni vaſa interna huic impetui ferendo paria fuerint, et humores rurſus ad exteriora pellere potuerint, congeſtiones et obſtructiones forte exitiales facile fieri poſſint. Foemina igitur, cum lavationem frigidam experietur, ſi poſt emerſionem fuerit anxia cum pulſu parvo debilique, nec color ruber ad cutem cito redierit, lavationem potius obfuiſſe quam profuiſſe timendum eſt; neque ea repetenda, niſi cum aqua minime frigida; et ad frigidiorem paulatim, prout aegrotae vires ferant, progrediendum. Immerſione denique in quibuſcunque rite peracta, cutis linteolis probe exſiccetur; et, frictione item continuata, perſpiratio promoveri et morbus levari poteſt.

EXERCITATIO

Exercitatio denique, rite instituta, ad corpus roborandum et partes quascunque firmandas, plurimum valet. In sanitate, cum ad morbos praecavendos maxime utilis sit, etiam, in morbis chronicis plerisque medendis, omnino necessaria est. Fluidorum enim circuitum liberum et aequabilem promovet, excretiones salutares omnes expedit, congestionibus medetur, et toti systemati robur vigoremque impertitur; Fluore Albo itaque laboranti commode succurrit. Si vero aegrota jam vires amiserit, et imbecillis omnino fuerit, ab exercitatione leni et modica incipere, et ad vehementiorem sensim sensimque progredi, debet. In exercitatione adeunda, caveat semper, ne stomacho cibis repleto, ne tempore vespertino, coelo existente frigido humidove, id fiat; et sub exercitatione caveat, ne ea ad fatigationem et lassitudinem, qua vires fortassis infringantur, procedat.

Superest tantum, ut de victu, in hoc morbo idoneo, dicam. Cibus itaque solidus

et

et ficcus, fed ad concoquendum facilis, nec ventriculo gravis, effe debet: In hunc finem, carnes animalium juniorum optimas effe putant multi; fed experientia conftat, carnes animalium adultorum, illis juniorum, aliquando concoctu faciliores effe.

In potu, vetanda funt infufa Theae et Coffeae, quae calida affumpta ventriculum et corpus caeterum laxant; et, pro potu ordinario, fumatur aqua pura frigida. Nec tamen vinum omnino fugiendum; fed rubrum, tum Gallicum, tum Lufitanum, vel purum, vel aqua commiftum, modica quantitate fubinde fumendum.

F I N I S.